



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XXIV. De euitatione curiosæ inquisitionis, super alterius vita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

160 DE IMITATIONE
rum, & ad cælestia totum deside-
rium meum suspende: vt gustata sua-
uitate supernæ felicitatis, pigeat de
terrenis cogitare.

6 Rape me, & eripe ab omni crea-
turarum indurabili consolatione: quia
nulla res creata, appetitum meum va-
let plenariè quietare & consolari.
Iunge me tibi, inseparabili dilectio-
nis vinculo: quoniam tu solus suffi-
cis amanti, & absque te friuola sunt
vniuersa.

C A P. XXIV.

*De evitacione curiosa inquisitionis,
super alterius vita.*

Eccle. 3. 1 **F**ILI, noli esse curiosus, nec va-
Et 1. cuas gerere sollicitudines. Quid
Tim. 5. hoc, vel illud ad te? tu me sequere.
Ioã. 21. Quid enim ad te, vtrum ille sit talis
Gal. 6. vel talis, aut iste sic & sic agit vel lo-
quitur? Tu non indiges respondere
pro aliis, sed pro te ipso rationem red-
des. Quid ergo te implicas? Ecce,
ego omnes cognosco: & cuncta, quæ
sub sole fiunt, video: & scio, quali-
ter cumvnoquoque sit, quid cogitet,
quid

quid velit, & ad quem finem tendat eius intentio. Mihi igitur omnia committenda sunt: tu verò serua te in bona pace, & dimitte agitantem agitare, quantum voluerit. Veniet super eum, quidquid fecerit vel dixerit, quia me fallere non potest.

2. Non sit tibi curæ de magni nominis vmbra, non de multorum familiaritate, nec de priuata hominum dilectione. Ista enim generant distractiones, & magnas in corde obscuritates. Libenter loquerer tibi verbum meum, & abscondita reuelarem, si aduentum meum diligenter obseruares, & ostium cordis mihi aperires. Esto prouidus, & vigila in orationibus, & humilia te in omnibus.

C A P. XXV.

In quibus firma pax cordis, & verus profectus consistit.

FILI, ego locutus sum: Pacem Ioan. 14
relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Pacem omnes desiderant, sed quæ ad veram pacem pertinent,